

Christi et justitias in hoc mundo : hæc est æterna, et beata vita illa, quam credis : hic fructus totius fidei, et bonæ consecrationis : hæc spes, propter quam nascimur, credimus, et renascimur. Propter hanc et prophetæ et apostoli et martyres tam labores inextricabiles sustulerunt, quam mortem cum gaudio susceperunt. Hunc vitam nec gentilis habebit, nec Judæus incredulus possidebit ; sed nec vitis et criminibus serviens Christianus ; quia solis est fidelibus et caste viventibus præparata.

13. Quod cum ita sit, charissimi, manete in his quæ didicistis et tradita sunt vobis. Retinete semper pactum, quod fecistis cum Domino, id est hoc symbolum, quod coram angelis et hominibus confitemini. Pauca quidem sunt verba ; sed omnia continent sacramenta. * De totis enim Scripturis hæc brevitatis causa collecta sunt, tanquam gemmæ pretiosæ in una corona compositæ, ut quoniam plures credentium litteras nesciunt, vel qui sciunt, per occupationes

* Locum hunc S. Nicetæ, observante cl. Fea, prope ad litteram sibi vindicavit S. Ildephonsus Toletanus de Cogn. baptismi cap. 33 (ed. Matrit. Patr. Tolet. tom. I, p. 185) cujus en verba : *In quo (symbolo) ideo ab apostolis breviter collecta sunt ex omnibus, Scripturis, ut quia multi credentes vel litteras nesciunt,*

sæculi Scripturas legere non possunt, habeant sufficientem sibi scientiam salutarem.

14. Ita, charissimi, sive sedetis sive operamini, sive dormitis, sive vigilatis, hæc salutaris confessio volvatur in pectoribus vestris. Sit animus semper in cælo, spes in resurrectione, desiderium in promissione. Cruz Christi, et gloriosa passio cum fiducia præferatur ; et quotiens inimicus mentem tuam aut timore, aut avaritia, aut ira titillaverit, responde illi minaciter, dicens : Et abrenuntiavi, et abrenuntio tibi, operibus pariter, et angelis tuis ; quia credidi Deo, vivo et Christo ejus, cujus Spiritu signatus nec mortem didici jam timere. Sic vos tuebitur manus Dei, sic Spiritus Christi sanctum custodiet introitum vestrum, ex hoc nunc et usque in sæculum ; cum meditates Christum dixeritis ad invicem ; fratres, sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum Domino vivamus ; cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

vel scientes occupati impedimento secuti Scripturas eis legere non liceret, hoc corde et memoria retinentes, sufficientem sibi haberent scientiam salutarem. Claruit autem Ildephonsus ducentis fere post Nicetam nostrum annis,

EJUSDEM S. NICETÆ FRAGMENTA SEX.

I.

Nicetas in libro b primo ad Competentes. Instructiones igitur necessarias ad fidem currentibus opus est explorare, quas et rusticæ animæ possint advertere pariter et tenere, non ex proprio ingenio compositas, sed ex divinarum Scripturarum prædicatione collectas, quibus edocentur baptismum electi, ut quid dimiserint sciant, et quid desiderant magis intelligant, et quid accepturi sunt, vel quid observare debeant certius recognoscant ; quia magnum est quod desiderant, grande est quod inchoant, sive Deus inspiravit, sive homo commovit et suavit.

II.

Ibidem. Catechumenus, quasi c hospes et vicinus fidelium, de foris audiens mysteria, nec intelligens ; audiens gratiam, nec advertens ; ex d hoc vero fidelis incipit appellari.

III.

Ibidem. Non enim ante ad confessionem venit, nisi prius fuerit diabolo renuntiatum. Sicut nec e au-

* Edidit hæc fragmenta vir cl. Michael Denisius ex codice Vindobonensi sæculi decimi, in opere inscripto, *Codices ms. theol. biblioth. Palat. Vindob.* vol. II, part. III, p. 2042 sqq. Scilicet in prædicto codice Vindob. inter alia inest opusculum cui titulus, *Ordo vel brevis explanatio de catechizandis rudibus.* cum Patrum auctoritatibus, quas inter Nicetæ. Apparet autem fragmenta hæc modo quidem pura recitari, modo autem eorum sensum, immutatis aliquando verbis,

C rilegus ante aurum mittit in sæculum, nisi prius terram vel limum laverit univerrum. Ideo oportet prius repudium dicere diabolicæ vanitati, et amara ejus studia abrenuntiando projicere. Abrenuntiare autem oportet non nudo sermone neque solis labiis, sed fide fortissima, et indubitata scientia, id est ut Christo se homo tota animi virtute committat, confidens, quia Christi factus desinat timere diabolum. Deinde abrenuntiat et operibus ejus malignis, id est culturis et idolis, sortibus et auguriis, pompis et theatris, furtis et fraudibus, homicidiis et fornicationibus, superbis et jactantiæ, iræ et avaritiæ, commensationibus et ebriositatibus, choris atque mendaciis, et his similibus malis. Quid dicimus de his, qui superfluo carnis ornata jactare se volunt, et videri mirabiles ? faceo de exquisitis inutiliter vestimentum subtilitatibus. Oro vos, quid faciunt in viris capilli f acu crispati, comæ retro quidem cervicem cooperiantes, ante autem frontem penitus abscondentes, ita ut nec signi Christi locus liber relinquatur in fronte ; et e unde se putant

proferri.

b Quippe Nicetas libros sex instructionis ad Competentes scripserat, quos enumerat Gennadius.

c Cod., *hospis* ; et paulo ante, *caticuminus*.

d Scilicet, *baptismo*.

e Cod., *aurilicus*.

f Cod., *aguo*.

g Cod., *eundem*.

habere aliquam gloriam vel decorem, inde turpitudinem et ignominiam contrahant? * Similiter et mulieres caput ligantes ut scutum, ut frons tamquam vallis inter duos subscidat colles; ut auribus pondera lapillorum auro ligata dependeant, ut brachia onerentur auro, aut cervicem premant catenas vel lapides, et pedibus sanguineæ calceamentis flammulæ ritulent. Quis usus in his, quæ utilitas invenitur, nisi sola inanis pompa, et mens desiderio infanti corrupta?

IV.

Item in lib. II. Certe omne peccatum sine dæmonis operatione non fit, quæ omnia opera diaboli vel ejus pompas esse intelligimus, His ergo malis se homo expediens, has catenas post dorsum suum velut in faciem projiciens inimici, jam sincera voce pronuntiat: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, et reliqua.* De fide enim sicut in eodem symbolo continetur.

* Notabilis admodum hic locus de virili muliebrique Nicetæ temporibus ornandi corporis more; quam

atur, pleniter ad fidem quisque atque ad baptismum pervenire desiderans, instruendus est pariter et docendus, ut brevitate symboli in corde memoriter teneat, quod quotidie dicat apud semetipsum, antequam dormiat, cum de somno resurrexit, quod omnibus horis in mente habeat; similiter et orationem Dominicam, et signaculum crucis quo se contra diabolum munit.

V.

In lib. ad Competentes. Symbolum est commonitorium fidei, et sancta confessio, quæ communiter ab omnibus tenetur et discitur.

VI.

In lib. primo. Cur exorcizatur, nisi ad consequendam gratiam præparatur? Per exorcismos enim veluti per ignem purgantur; quia ignita sunt eloquia Domini, ex quibus sunt exorcismi compositi.

vanitatem ecclesiastici homines, ut nunc quoque fit, severe reprehendebant.

PETRI BRAIDÆ

DISSERTATIO IN S. NICETAM.

I PROLOGIUM.

Scopus dissertationis et ordo.

Niceam seu Nicetam episcopum Aquileiensem illustrare aggredior, illum nempe ad quem divi Leonis Magni super quibusdam difficultatibus percelebris exstat epistola; eumque in primis ipsum esse contendendo quem Gennadius *Romatianæ civitatis* appellat episcopum, eundemque propterea auctorem tum nuper detecti editique libelli, cui titulus *Explanatio Symboli beati Nicetæ Aquileienseis episcopi habita ad competentes*, tum alterius quoque qui *Libellus ad lapsam Virginem* ab eodem Gennadio appellatur, quique hactenus inter Opera sanctorum Ecclesiæ doctorum Ambrosii, Hieronymi, et aliquando etiam Augustini locum obtinuit. Res itaque mihi potissimum est cum illustri viro, de sanctis Ecclesiæ Patribus optime merito, ac lucubrationibus editis, aliisque nominibus spectatissimo, Joanne Prosdocimo Zabeo qui in peculiari sua dissertatione, quæ Venetiis prodiit typis Antoni Rosa anno 1803, Niceam seu Nicetam illum Romatianæ civitatis episcopum a Gennadio memoratum, ac hisce aliisque scriptis operibus clarum, alium ab Aquileiensi Nicea seu Niceta esse voluit, eumque episcopum propugnavit illius in Dacia civitatis, quæ apud scriptores veteres Remisianæ aut Romessianæ sive Remesianæ nomine appellatur; illum propterea qui Aquileiensi episcopo ejusdem nominis paulo superior exstitit tempore, quique sancti Paulini Nolani episcopi amicitia et hospitio inclaruit. Dum vero contra hujusmodi virum doctrina et eruditione præstantem, quem maximi facio, cujusque lucubrationem de Nicea seu Niceta nostro vere sum admiratus, stylum sumo, non is est animus ut quidquam velim ejus laudi imminutum, qui solius veritatis delegendæ studio se adscribendum contulit, et in eam quam probabiliorum judicavit sententiam descendit. Stet suis honor clarissimo viro, qui in sua opinandi ratione, antequam prior ex his opusculis recens detegeretur, præstantissimos ecclesiasticæ eruditionis proceres habuit antecessores, necnon et nuper, eodemque opusculo jam Patavii edito, illustris memoriæ virum Michaellem Denis Palatinæ Vindobonensi bibliothecæ præfectum; cujusque elucubratio digna sane est quæ

legatur, tum ob orationis nitorem, tum etiam ob eruditionis delectum, et illam maxime perspicuitatem, quæ in hujusmodi reconditæ eruditionis genere non raro desideratur. Liceat interim et mihi oppositam tueri sententiam, quam plane probabiliorum existimo, quam etiam satis exploratam (absit verbo invidia) lectoribus humanissimis ac partium studio minime actis apparituram confido: quod dum exsequor, ea est indoles viri ingenui atque ornatissimi, ea animi amplitudo, ac veritatis assequendæ cupido, ut non dubitem quin pergratum illi futurum sit etiam a sententia discedere, quam minus firmis rationibus innoxiam deprehendat, licet fortasse momenti fuerit non exigui tantopere pro eadem laborasse.

En autem dissertationis hujus progressum et ordinem. I. Sive Aquileienseis Ecclesiæ episcopus sit, sive alterius in Dacia sitæ, ille, quem Gennadius Romatianæ civitatis appellat episcopum, procul dubio unius auctoris sunt tum *Explanatio Symboli ad competentes*, tum *Libellus ad lapsam Virginem*; quæ duo nunc primum una simul sub nomine sancti Nicetæ Aquileienseis episcopi damus opuscula. II. Niceas seu Nicetas, sancti Paulini Nolani episcopi amicitia clarus, non fuit episcopus civitatis Romatianæ in Dacia cis Danubium constitutæ; quinimmo trans Danubium episcopatum gessit. III. Romatianæ civitatis episcopus Niceas seu Nicetas a Gennadio memoratus, non est Niceas seu Nicetas ille Dacus sancti Paulini Nolani episcopi amicus, ejusdemque laudibus celebratus. IV. Romatianæ civitatis episcopus Niceas seu Nicetas a Gennadio memoratus, est dubio procul Niceas seu Nicetas episcopus Aquileienseis, qui sancti Leonis Magni tempore floruit, et ad quem ejusdem sancti pontificis exstat epistola. V. Romatiana civitas a Gennadio memorata, non est in Dacia inquirenda, sed in veteri diocesi seu provincia Aquileienseis; et probabiliter illa est quæ Portus Romatianus, seu Romatinus, aut Romatius, non ita procul a Concordia, ex fluvio ejusdem nominis a Plinio appellata fuit; aut illa quæ hodie Portus-Gruarius dicitur, et ad eundem Romatium, seu Romatinum, aut Romatianum fluvium sita est, qui eam interfluit. VI. Niceas seu Nicetas, episcopus Aquileienseis, Romatianæ civitatis episcopus probabiliter dictus fuit, seu quia